Opuscula

INSTRUMENTUM PUBLICUM,

de & super
Virtute, eruditione, Meritis & Laboribus.
Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini
D. M. JOANNIS JOSEPHI,
PAŁASZOWSKI
Vtriusq; Iuris LICENTIATI ac PROFESSORIS, Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. ARCHIDIACONI in Willamowice Curati,
dum à
CELSISSIMO PRINCIPE
ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ANDREA STANISLAO KOSTKA
COMITE in ZAŁUSKIE
ZAŁUSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO Cracoviensi, DUCE Severiæ,
EQUITE AQUILÆ ALBÆ,
Studij Generalis Universitatis Cracoviensis
CANCELLARIO FAVENTISSIMO.
ad ædes Collegiatæ Sanctorum Omnium præsente magna Illustrissimorum Hospitum Corona
ritu solenni
JURIS UTRIUSQUE DOCTOR,
renuntiaretur
conferente Eidem Doctoratûs Insignia
Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino
D. M. ADALBERTO MICINSKI
Juris Utriusq; Doctore & Professore Facultatis Juridicæ DECANO, Ecclesiárum Collegiátæ SS. OO. Crac. CUSTODE, Parochialis in Luborzycá & Koniutzá Curato, Consistorii Generalis Cracovien: Assessore,
A M: Stanislao FOLTANSKI, *Philosophiæ Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ Szrodensis Canonico.*
In Forma Oratoria
CONFECTUM.
Anno Dni 1748. Die 28. Mensis Martij.

Cracoviæ Typis Collegij Majoris.

Literæ posteritatis Causâ repertæ sunt, quæ oblivioni subsidio esse possunt. *Cic: pro Sylla.*

Exempla omnia jacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet. *Cic: pro Archia Poëta.*

Instrumenta consignanda sunt die, Anno, Principe, & Episcopo. Post con: *Tolet:* 1mo c. 12.

INSTRUMENTUM PUBLICUM,

De & ſuper

Virtute, Eruditione, Meritis & Laboribus.

AUguſta Orbis decora virtus & Sapientia, quanquam ad Sceptra & Coronas nata, in ſublimi famoſæ cujuſdam gloriæ perennent Throno, vaſalla tamen in plauſibus non habent ſæcula, ſi de hoc nulla literarum teſtentur munimenta. AA. Majeſtatem animi non cum inanis auræ ſoninitu, aut ſtrepentis vulgi fremitu, conficiunt Myrones, ſolus ſe ingenioſus Magiſter, abſq; dolabra & bipenni, quod Acrocorinthos & Septizonia vincat, erigit ſubſelium, quòd verò id hæreditario jure poſſideat, ſuccedenti ævo, controvertet Orbis, ni lites, ſcripta dirimant & jurgia ſolvant. Eô modô traduntur faſces Imperij virtuti, ſolvitur honoris tributum Sapientiæ, alioquin quod eis vectigalis exiſtat Mundus ignorabit. Unde venit quod Herculis labores, robur Hectoris, dexteritatem Leonidæ, triumphos Cæſaris, Iſocratis facundiam, ſtupemus & attollimus, utiq; neq;

Herculem, domantem monſtra, neq; Hectorem ſævos Delopes, vivaceſve ſternentem Ahivos, neq; intra Thermopylarum anguſtias, numeroſum Xerxis exercitum fugantem Leonidam, neq; per ſtrata populorum cadavera, quadrigis vectum Cæſarem ad Capitolium vidimus, perorantem de Cathedra Iſocratem non audivimus, niſi quòd de his omnibus leges & volumina nos informant. Sudat Plinius, ut in ejus ſudoris profluvio, ſpeciem Viri boni quæ decebat Trajanum, intueantur ſæcula, pallet ad chartas, rubet ad Phæbi Scholaſtici æſtus Horatius, colligit eviſcerati pectoris in ſpongiam humores, quibus conſpiſſatum ſui cum rubore pallorem, in colorem diluens, ex illis concinnæ mentis penicillô, dignam Imperiô ſui Mecænatis, pingat imaginem, quam in publico gloriæ appenſam Theatro, ſpectet poſteritas, laborat extremis Claudiana Muſa Spiritibûs, ut magni Stiliconis vetet nomen mori, ut illud nulla unquam conticeſcat ætas, Ita eſt: beneficiô literarum, immortalis apud poſteros paratur fama, quòd Decius cicutam bibens locò intentatæ mortis, vivat parte meliore ſuperſtes, eruditi fecere ſales, quòd Calliſthenes ferreæ incluſus caveæ, de libertate diſputando Philoſophica, gloriæ paſſibûs in Orbem exiverit, Scriptorum factum poteſtate. Quod Sol ſementi, ros flori, remus puppi, fundamentũ domui, præſidiũ Regi, idẽ ſunt ſcripta virtuti, idẽ Sapientiæ. Non adoleſcunt ſine Sole ſemina, langvent ſine rore flores, naufragatur ſine remo navis, cadit ſine fundamento domus, nevè ſine literali teſtimonio virtus aut Sapientia, in ſuccedentis memoria ævi, creſcit, viget, perennat, dominatur. Eclypſetur literarius Phæbus, pulchra virtutis geſta, quæ noſtrum tempus videt in flore, venturum non ſpectabit in meſſe, ut ad horrea magnæ conducat a-

doreæ

doreæ, desit Scriptorum sæpia, victrices palmæ, in Imperatorias virgas, Ducum clavas, Mareschalcorum Scipiones, Laticlavia Principum, Cæsarum Thronos, non explicabunt ramos, desint Scholastici calami, qui vices remorum obeant, onustæ cimelijs prægrandes animorum venient in Scopulos sui ævi naves, sine caduceo Mercurij, præcellæ gloriæ non diu subsistent ædes, eripient de manibus debita virtuti Sceptra sera tempora, si pro illa literarum ordines, non pugnabunt. Vixere ante Agamemnona fortes, ante Tròës & Arcades, qui suos Aborigenes revocabant ad Lunam, fuere Gentes, erant sua in bellis ante Præmyslaum stratagemata Sarmatis, sed quia hæc nulla retulit in codicem penna, proin ignota in theatrũ plausuum non ducuntur. Quantum in TE triumphat Virtus, quam pompam explicat Sapientia, quàm magnîs meritorum passibûs, ad summum Juris Utriusq; DOCTORATUS progrederis fastigium, cernimus omnes, singuli intelligimus, sed ne hæc ignorent sæcula, exin paradigma habitura gestorum, ea pace TUA, per literarum erudiam instrumentum. Instrumentum hoc suspicantium mentes, cogitantium de se absolvet Judicia, quia publicum, Solennitates sui in hoc Divæ Themidis Areopago explicabit.

Linquo exquisitos verborum colores, ut pulcherrimã cultissimi Tui animi repræsentando Orbi adumbrẽ effigiem, non elevo Oratoriam pennam, ut Augustale TUÆ attollam mentis, nil in TUI encomijs laborabit Eloquentia, quanquàm de TE vel nudè dicere laboris ejus summa erit. Conquirunt ornamenta abextra, qui nativis deficiunt, quibus res angusta domi, alienos obambulant lares, ut earundem emendicent pretia, Regales animi domi apparatum habent, proprio ditescunt ære, ignorant prorsus egestatem. Bi-

bunt ſanguinem in Arabia, ut rubeant purpuræ, cum purpura naſcuntur roſæ, expoliuntur vitra, ut niteant, purior lucet ſine arte cryſtallus, coluntur ſteriles, ut fructificent agri, fertilior alibi tellus fructum inarata dabit. Æmuletur Parrhaſius Zeuxem, ludentem pulchriori eludat arte, ſuper Apellis lineam, nil addet Prothogenes, obſcura nox ardentibûs illuſtretur tædîs, adſcititio dies non eget lumine, quæ ſuo trabeata Sole manet lucidiſſima. Comunt ſe ad ſpeculum, honeſtant pigmentîs, balſamo thymiamate ungunt, quos male pendentes rugæ & turpè olentia dehoneſtant labia Therſites, formoſi Ganimedes, pulchri Adonides, puniceîs genîs roſeam auroræ formam, labiîs referentes lilia, ceruſſam reſpuunt, ſtibium deteſtantur. Supremi Tonantis filia virtus, Hortenſiorum roſas, Gallicanorum lilia, ad ſui Coronam non poſcit, cui in Paradiſi hortis nectuntur ſerta, verborum gemmas pro dote non accipit, quæ ſuis monilibus opulenta exiſtit, intaminatis fulgens honoribus Oratorios fucos ægrè patitur, ingeniorum lumina aſpernatur. Magnitudo mentis non juxta robur attollentium, menſuram à palmo, ab ingenio formam à labore durationem non accipit, & tamen artificiô Memphim, altitudine Pharum, amplitudine Epheſum, & centum portarum excedit Thebas, ſummîs faſtigiîs ſupereminet tantùm, quantùm Carpathô Olympus aut lambenti terram miricæ Cælo maritata Cedrus. Talis mihi dicendus venis PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR. Cui Virtus ſcribit Panegyrim, Sapientia Honoris ædificat domum, ampla ornant merita, omnes curam impendunt dotes, in tam pulcherrimo opere, labore non indigent Oratoris. Non itaq; in altum Sapientiæ TUÆ eniti contendam, ubi Mercurij fatiſcunt pennæ, non meritorum pro-

fun-

fundum tenui metiar arundine, ubi ne desidant celsioribus opus ingenijs, sed publicum de TE sensum quod virtutum & meritorum evincunt testes, in brevi pagella exarabo. Et quidem primo testatur juvenilis ætas, ætas illa: quæ inscia fallere, rem totã aperit, statim enim se in primo vitæ exordio natura explicat, quid in ulterioribus ejus partibus pertractabit. Non degenerat utiq; Vir à puero, consentit cum palmite vitis, cum pubescenti culmo arista cum primo diluculo dies. Qui à teneris per scuta reptant, ibunt adulti cum Stilicone in gladios, qui ad auroram vitæ in Hymetto umbram quærunt, ad meridiem æstus non ferent cum Adonide. Jugulabit Vir Cives, qui puer colla papaverum demetit Tarquinius, magna posthac tentabit Cyrus, qui adhuc infans puériles lusus vertit in seria, si Macedo adhuc puber oblatam sibi á Paride repudiat Citharam, ad fidium cantus obdurabit aures, cum exuet prætextam. Antequam itaq; aliorum dicta, in paginam referam, primo juvenilis ævi asserta exarabo. Dicit hæc JOANNES verè in Orbis delicium natus, prætextam humerô, togam præsetulit animô, vultu infans, senex moribus, in illo proclivi ad ludicra & inania ævo, non nugas secutus & ineptias, sed procul honesti ductus amore, arduum virtutis ingressus callem, ad magna nonnisi ferebatur. Ne itaq; ad domesticos delitescerct focos, in campum descendit literarium, ubi pulcherrimam virtutis suæ exorsus scenam, omnium ora oculosq; in se convertebat. In doctis ludendo Olympijs, non tardiori Lentulorum incessit gressu, æquabat hoc in cursu Celerinos, æmulabatur Hippomenes, celerrimo mentis curriculo aliorum spes prætergressus, per invias scientiarum semitas rapido cursu agebatur. Scholastico conspersus pulvere,

adeo robuſtus apparuit, ut ab irruente in ſe ignorantia, ne quidem paſsu moveri poſset, à qua impetitus eandem proſtravit feliciter, proſtratam in literaria ſepelivit arena, & ne ſua tumulatæ deeſſent funeralia Cleanthis lychnos accendebat. Palladianam adeo fortunatè excoluit glebam, ut ex illa ad ſuæ mentis horrea copioſam Scientiæ meſsem congregaret. In Atticis noctibus honeſtæ mentis præſeferendo facem, tenebras fugavit ingenij, in die purioris animi cryſtallo, Sapientiæ radios combibebat. Ad ſcientificum Phæbum, ubi etiam acutiores mentium lippiunt oculi, JOANNES Aquila, ingenii ſui erudiebat pupillam, ad quem indies ſagacis intellectus & pertinacis laboris pennis advolabat. In Parnaſſiis montibus, ubi alii impingunt in lapides, ipſe aurum reperierat, quorum acutiori indagine rimabatur viſcera, per Tullianum æquor fortunatus Ulyſſes, onuſtam pretioſi eloquii mercibûs devexit onerariam, Scientiarum clavi ad Muſarum Sacrarium, ſibi aditum reſeravit. Nec tamen aliter doctæ ſacrificavit Palladi, niſi quoq; Cælo, thura libaq; votorum adoleret. Profanas in Eo literas à charactere non diſtinxiſſes Virtutis, æquè Virtutibus incumbebat ac Scientijs, indies doctior, indies in vita perfectior evadendo. Atra ſæpia vitæ non obfuſcavit candorem, ardor ſciendi probitatis fomitem non extinxerat, ardentiùs cor pijs affectibûs calebat Veſuvijs, quó magis vis ignea ingenij conſumptîs difficultatum obſtaculis æſtuabat. Expoliendo mentem purgabat conſcientiam, illuminando intellectum obſcuram caliginem curavit removeri ab anima, Qui in ſui pectoris, ſphæra Cæleſtem Phæbum collocavit. Quanquàm dulcem Sapientiæ portionem, non aliter tamen guſtare voluit, niſi eſſet Sale Divini condita timoris, in A-

polli-

pollinis non aliter lusit Cithara, nisi præter ordinatas fides, actuum qvoq; haberet consonantiam. Non solum oris sed quoq; morum Tullium Præceptorem habuit, æquè bene dicendi ac bene vivendi discebat præcepta, ad mentis operationes cor quoq; Ejus pio operi intendebat. Inde factum, quod brevi tempore ad id eruditionis venit fastigium, ad quod per multas Olympiades temporum, difficilè quoq; eluctari. Quid mirum hæc enim nempe virtus illius Magistra erat, quæ Ipsum docebat clariùs, erudiebat sinceriùs, quidquid abditi aperiens, quidquid innodati, explicans, hæc erat lux, quæ Ipsum in profundum Scientiarum duxit, obscuros de rebus illuminavit sensus, hæc erat discendi regula, quâ, mira facilitate discebat difficilia, abstrusa & innodata capiebat. Nil tamen de pristina aviditate, esto plura Scientiarum collegisset pretia, remiserat, adeo cupidè his inhiabat opibus, ut in ijs continuò lucra quæreret, laboris substantiam in bonis artium collocaverat, unde illi indies eruditionis summa accrescebat. Archivum Palladis suum voluit haberi ingenium, jam aurei eloquij torques, jam Philosophici æquoris ad illud conquirens uniones, doctorum Virorum revidendo scrinia, quidquid in illis rari, qvid pretiosi, sedulitatis coëmens nummô, ad depositum pectoris comportabat. Quantus discendi ardor, qui in ipso Scientiarum fonte vehementius excanduit, hic cum crevisset in incendia, non rarò fugam supplebat Solis, quàm pulcher in opere literario labor, ferebat sine tædio æstus, portabat sine gravamine onera, per salebrosas difficultatum semitas usq; ad laureas Philosophicas processerat, quæ in Illius emeritis temporibus, à sudoribus vigorem, ab ingenio nactæ culturam, velut in vertice Pindi floruerunt. Sub lauru hac frontem á sudoribus non

absterserat, nec enim umbram sub illa quæsijt; sed Solem, proin non à laboribus quiescere, sed erudito motu perpetuo voluit agitari. Testatur Academi eremus vocalem meritis, clarum eruditione JOANNEM. Hic circa docta deambulando resonabat flumina, in eius crystallinis undis Viri boni speculabatur imaginem, unde similem in sui intellectûs tabula concinnæ penicillô mentis efformaret. In palmari Palladis Jagellonicæ deserto, solido per lubrica curarum incessu, profundô per ferreos conatus meritorum incedens vestigiô, rectam sibi ad Sapientiam viam præparabat. Non melle victitabat sylvestri, sed ex redolentibus Oratorum thymis, svave spirantibus hymettis hyblas libabat Heliconias, in alveario sui pectoris dulcem Scientiarum favum confecturus. Date fidem eruditæ plebi, quanta apud eam JOANNIS in hoc deserto erat æstimatio. Videbant in Eo omnes fervidam discendi cupidine accensam flammam, observabant Herculeum ad frangendam errorum potentiam robur, proin in dubio votorum certamine sub diversa opinionum signa abierunt. Dicebant hi JOANNEM scrutatorem futurum esse Plinium, qui naturæ scrutando mysteria, occultas rerum investigando qualitates, propiùs indies ad medullatam earundem intelligentiam accedebat. Dicebant illi acutum esse Zenonem, qui subtilis mentis acumine, obstantium difficultatum præscindens corticem in nucleo Iliadem reclusit Scientiæ. Alij Divinum credebant Platonem, quod ea quæ humanæ ægrè capiunt mentes, facile comprehenderet, cùm per summa entium cacumina inoffensô pedemmate graderetur. Ea quæ innuo fusius edisserunt Stoæ, clariùs loquuntur Perypathi, qua cum gloria in stadio Philosophico magnanimus certabat Athleta, quô cum

plausu

plausu doctis redibat à congressibus. Affirmabant alij Gallicanum Herculem, qui pendenti ab ore flexibilis eloquentiæ torque, juxta sui arbitrium audientium ducebat sensus, liberas voluntates hominum vinciebat. Magnitudinem horum velut arborum ex umbra metiamur ingenij, quâ Illustrium Virorum illuminando facta, more Solis; clarum Eorum Nomen à cimmerijs vindicavit. Prostat adusq; mentis ille industriosæ partus, (Quantitas meritorum continua) magno olim in hac Universitate meritîs & Sapientîa Viro PERILLUSTRI MATERSKI, cùm Sacræ Theologiæ crearetur DOCTOR, in perennaturæ memoriæ extructa trophæum, inventione singularis, dispositione pulcherrima, artificio commendabilis. Sed dignum erat: ut qui virtute clarus, illustris foret Sapientiâ, in normam abiret multorum, lucerna enim, quæ propellit tenebras, non sub modio poni, sed in publico candelabro collocari debet, proin SENIOR Contubernij Philosophorum electus, quantùm exemplo & institutione emicuit, dant in luce publica testimonium, quotquot hoc prævio Phosphoro videntur gloriæ in meridie. Felix Alcinòûs tenellas excolendo plantas, nunquam permisit sterilescere, nunc dulcem præceptorum radici, ne injuriâ humorum acescat in fructibus, instillans succum, nunc salutaribûs contra tempestates & ventos ligans monitîs, nunc arescentes svavioris doctrinæ humectans rore, nunc luxuriantis vitis racemos & inutiles rescindens Stolones, in proceras arbores fecit excrescere, quæ Sapientiæ onustæ frugibûs & Musas alerent & Solia sustentarent. Sub Ejus tutela ad magna nati prosperè Poloni adolescebant Ascanij, firmabantur in fulcra Patriæ, stabiliebantur in Colossos, ut in magnis WILKONSCIORUM & DEBINSCIORUM com-

pertum Nominibus, quorum lacertosæ ingenij vires, in quovis turbine, & nutantium declivio rerum, pares sunt etiam maximæ negotiorum moli supportandæ. Fortunatus Chiron teneriores quos suscepe-rat in decus & natalis præsidium Soli educabat A-chilles, quod ut omittam alios in ILLUSTRISSIMO de KODEN SAPIEHA Thesaurario Curiæ Ma. Duc. Lithvaniæ verè Gentis Sarmaticæ Achille, monstrat probatve Orbis consilij robore ingenij fortitudine, pro Aris & focis strenuissimè decertante. Tollit sub sidera Ejus nominis famam ILLUSTRISSIMæ SAPIEHARUM Domus Sagitta, & dum in centro honoris consistit & gloriæ, quâ fuerit diligentiâ ab institutrice sui directa dextera, ex ordinatissimo illius cursu patet ad oculum universis. Auxere meritorum laborumq; fidem præclara summorum Capitum in hoc Athenæo judicia, quem eruditorum Virorum annumerando cætui, ad domum Collegij minoris magnîs affectuum passibûs deducebant. Viro tanto venienti ad se omnes in illo erudito Palladis gremio, occurrerunt cum jubilo, cujus politiori literatura decorum ingenium, solida fætum eruditione caput, maturâ edecumatum prudentiâ judicium, ubivis perspectum habuerunt. Testatur id viva voce, unanimi sensu laboriosissimorum protunc Professorū selectissima Cohors, quomodo profundos rerum scrutabatur, perplexos explanabat sensus, aperiebat secreta, revelabat abscondita, quomodo ingenij luce difficultatum nubila in purum clarioris intelligentiæ aërem resolvebat. Vidit has ingeniorum Arbitra & mentium ocellus, Princeps Astræa in Eo dotes, ponderavit merita laboresve, in bilance Themis, quantum æstimaverat dedit testimonium, Quem brevi avocans in ornamentum sui popoſcerat, cum Stoæ svadæq; cor-
dolio,

dolio, quòd delicium sui amisisset JOANNEM ad quod Eum, docti animi compositio, pulchrave oris gratia efformavit. In venerando justitiæ Senatu, certantem pro moribus Catonem, pro æquo justoq; zelantem agens Aristidem, stetit pro legibus, locutus pro juribus, docendo clarè, explicando faciliter, omnimodè informando. Non atria solum, ut pleriq; habent ad gloriã satis, Divæ revisit Themidis, sed ipsum juris intravit Sacrarium, proin, in intimiorem ejus cognitionem, profundiorem intelligentiam veniebat. Non solùm autem verbis, sed & factis curabat docere, in sui vita recti observantiam, actionibus justitiam, progressibûs honestatem, moribus decentiam, affectibus temperiem, conversatione exemplar, exprimendo, Leges Canonesq; dictando, Canoni probitatis seriò attenderat, hanc legem, hanc agendorum amussim, semper præ mente & oculis habendo, primò sibi explicuit, primò se informaverat, ad quam totum illum animi venerandum Senatum regulabat. Quòd si plura hujus rei requirantur testimonia, ea quæ edissero, uterq; loquetur Orbis, non tantùm in minori Polonia, virtute meritis & laboribus JOANNES Gigas erat, sed major quoq; Polonia nil in Eo se vidisse non magnum, nil non sublime profitetur. Septennio Academiæ Posnaniensis DIRECTOREM agens, vel hoc numero universitate designante temporum, universa ad Officij exigentiam, amplissimi nominis gloriam, fecisse satis declaratur. Si enim gravis negotiorum incumbebat moles, bajulus hujus ponderis Atlas erat, si bonum laborabat commune, animosus pro eo decertans Hector, cui quoq; provisurus, propriis sumptibûs Argenidem reimprimi curaverat, major in sui actibus Alexandrô apparuit, brevi tempore de affectu Orbis illius triumphando.

Merita quam ampla, quæ utrumq; implevere Orbem, occuparunt corda, poſſederunt affectus, omnium vota, ſingulorum deſideria tenuerunt. Probavit illius Sapientiam Generale Poſnanienſe Conſiſtorium, Quem in Aſſeſorem deligens, pro Tripode habuit, in obvijs quibusvis cauſis paratiſſimô ad reſolvendum ingeniô exiſtentem. Super pectus Domini recubuiſſe JOANNEM Religioſorum affirmabant cætus, cum quibus diſputando Theologus, ita argumentîs clarîs, inſtantiîs apertîs, rationibûs utebatur lucidîs, ac ſi de Illo Fonte de Quo claritas & ſplendor Scientiæ dimanat in ingenia, limpidiſſimas hauſiſſet undas. Zelum Ejus Divorum loquuntur exedræ, in quibus Sacratior Pericles tonabat in ſcelera, in rebelles Superis Gigantes fulminabat. Ordinandorum Examinator electus, ita eorum virtutes moreſq; trutinaverat, ut niſi ſorte Domini vocatos Aris admoveret Divorum, factus exemplar Cleri, veri Numinis cultum, fervorem in Superos, pietatem in DEUM edocebat. Librorum per Diæceſim Poſnanienſem CENSOR, Ipſe ſine criſi, ſine Cenſura erat, Quem virtus à mendis, ab erroribus Sapientia, à lituris gratia expurgavit. Caſimirienſis Eccleſiæ Præpoſitus, omnibus ſuis negotijs intereſſe Divini honoris præpoſuit, neglectam populorum ſalutis reſuſcitavit Cauſam, exulem de cordis Regia Divini cultus obſervantiam, denuo revocavit. Ne fundata inter populos rueret devotio, jura vindicavit Eccleſiæ, collapſam erexit, nutantem ſtabilivit, majori ſua deſtructam parte reparavit. In æſtimatione populorum, magnorum amore Virorum tantum creverat, ut Illorum erumpentibus gratijs (niſi ſe quadam modeſtâ ſubduxiſſet renitentiâ) totus inundaſſet favoribus, non ſolùm enim in minori Polonia Principibus placuerat Viris,

utpote

utpote ILLUSTRISSIMIS SZANGUSZKO in RAKOW & SMOLANY Ducibus CZARTORYISCIIS, LUBOMIRSCIIS, DĄBSCIIS, MOSZCZYNSCIIS, WYZYCCIIS, WILKONSCIIS, ſed in majori quoq; Polonia magnorum in Republica Procerum, veluti SZOLDRSCIORUM, ROGALINSCIORUM, PAWŁOWSCIORUM, MYCIELSCIORUM, KOŁACZKOWSCIORUM, NIEGOLEWSCIORUM, MIASKOWSCIORUM, BOIANOWSCIORUM, NIEZYCHOWSCIORUM, & plurium aliorum cordibus adhæſerat, Quem apud ſe omnibûs retinere modîs ſatagebant. Aſt non poteſt teneri flamma nequeunt ſiſti flumina non potuit ille magnus animus ampliora indies quærens ſpatia quibuſdam anguſtijs coarctari. Unde magnis meritorum paſſibus redit ad Almam Univerſitatem Matrem, non aliter niſi velut Sol ſuam denuo ſvevit redire in ſphæram, eadem laborum ſtadia emenſurus. Exempla ut video Germani ſui Fratris Viri in hac Univerſitate emeritiſſimi ſecutus, in Cujus terſiſſima diaphani animi cryſtallo, cultiſſimam agendorum ſpeciem intuetur. Ac velut Themiſtocles Miltiadis trophæis, ita præclaris Fratris ſui facinoribus indies incitatur ad majora, Ejus inquam factis, Qui encyclopædia ſcientiarum factus, ore Tullium, eloquio Maronem, ingenio refert Ariſtotelem, circa cujus pulherrimum efformandum genium multùm operabatur natura, in extruendum prægrandis mentis Palatium quod Principes inſident qualitates, ſingulæ dotes non modicum pretii expenderunt. Quantam incrementis temporum Sapientiæ & meritorum abundantiam collegerit, quàm irremiſſo conamine cæptis incumbat laboribus, ingeniorum amuſſis, Sapientiæ pupilla, verticalis eruditionis apex, ſelectiſſima Illorum Virorum inter quam nunc vivit feliciter teſtatur Cohors, Illo-

rum inquam Virorum, qui ſecum Delphos & Tripoda ferentes, omni tempore & negotio allegationes & capitula ad manum habent, in fortuitis incidentiū ex improviſo caſuum eventibus, non per longam deliberationis inveſtigant viam, aſt in promptu reſolutionem geſtant, teſtantur ergo Ejus rectefactorum magnitudinē, ampla gloriæ latifundia occupare. Vere Vir aureus in pretia Muſarum, ſolidiori ſcientia conflatus, cui defuit inanis tinnitus pompæ, excelſus non elatus, ſublimis non tumidus, faſtigioſus non faſtuoſus, ab omni prorſus ambitu ab omni oſtentatione alienus. Pulcherrimas animi dotes ceu Cæleſtis arcus varios in ſe conclusit colores, cujus prudentia in dandis ſaluberrimis conſilijs, in peragendis rerum negotijs dexteritas, in vincendis adverſitatibus fortitudo enituit, patent labores, in tot arduis cum gloria Gentis Togatæ abſolutis Spartis, patent merita altitudine ſublimia, amplitudine vaſta, ſingularitate conſpicua, quibus nunc Diva in præmium Themis offert in utroq; Jure Doctoratum. Fatiſceret Oratoris Spiritus, ſi Rhetorica gradatione omnes laborum ſemitas per quas Ille proceſſerat decurreret, ſed quia rem nude tractare elegi, clariùs ejus expreſſurus energiam, proin attingendo tantum obviè, rudi Stylo, inculto calamo, breve hoc, indubitatam tamen habiturum fidem apud ſæcula, omni exceptione majorum dicta continens teſtium, liturâ vacuum ab omni aſſentationis nota alienum, Sigillo Communitatis munitum, publicum hoc confeci,

INSTRUMENTUM.

